1906.

Beilage zum Jahresbericht

des

Königlichen

Gymnasiums zu Friedeberg Nm.

Inhalt:

De prologis fabularum Plautinarum.

Vom Oberlehrer Robert Stadthaus.

84. 1906.

Druck von Max Eisermann in Friedeberg Nm.

In prologis fabularum Plautinarum quid esset vere Plautinum quid minus, iam multi et docti viri vires experti sunt ut eruerent. Sed totum hoc genus tot tantisque obstrictum est difficultatibus, ut vix unus prologus exstet, de quo virorum doctorum sententiae non in contrarias partes discedant. Atque perlustranti mihi animo et retractanti quae de hac re adhuc scripta sunt, unam esse paulo certiorem viam cognovi, qua vere Plautina a spuriis falsisque discernenda sint. Quam etsi multos ingressos esse video, tamen non solam secuti sunt, id quod mihi hac dissertatione facere reliquis rationibus ut minoris momenti raptim modo perlustratis propositum est. Sed de hac via priusquam accuratius agam, altius paulo mihi est repetendum, ut cum unde omnino prologorum genus sit ortum tum quomodo fabularum Plautinarum prologi paulatim in eam abierint formam qua tulerunt aetatem quam potero brevissime exponam.

Aristoteles[1]) prologum, scilicet *κατὰ τὸ ποσόν* modo, *μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου* dicit esse; quae eius vis ac natura sit non addit. Spectat autem prologus, ut in natura rerum positum est, ad audientes in propriam fabulae actionem inducendos, cum vel ea quae ante acta sunt vel quae nunc aguntur enarrentur. Quam expositionem aut diverbio aut monologo aut cantico chori, velut apud Aeschylum in Hiketidibus et in Persis, per personas fabulae neque aliter in tragoediis quam in comoediis videmus factam esse. Eodem pertinet quo rerum narratio illa nonnunquam jejuna magis incitetur et ad dramatis vim melius quadret earum personarum usus quas *πρόσωπα προτατικὰ* Graeci vocant.

Euripides primus ab hac consueta componendorum prologorum ratione haud mediocriter recessit. Primum enim in prologis suis ad unum omnibus monologo utebatur, deinde praeter personas fabulae etiam *θεοὺς ἀπο μηχανῆς*, quippe qui soli omnia quae necessaria ad intellegendam fabulam essent possent scire, in scenam producebat. Causa cur ad hoc novum prologorum genus deferretur ea erat, quod saepe diversa argumenta consociabat vel etiam totas Aeschyli trilogias in unius tragoediae vinculum compingebat, quod recte vidit G. Hermannus[2]), cum ita scriberet: „Hinc illa necessitas prologorum scribendorum quibus antiquior tragoedia facile carebat, cum quid visuri essent spectatores notum eis esset; recentior autem carere non potuit, quia exhaustis tractandi cuiusque argumenti modis nova quaedam et a communi traditione recedentia comminiscenda erant, quae nisi ante indicata spectatoribus

---

[1]) Arist. A. P. c. 12. [2]) Praef. primae edit. Electrae Sophocleae, Lips. 1819.

fuissent, non modo deceptam exspectationem suam vidissent, sed saepe ne intellegere quidem quid sibi vellent actores potuissent." Quo quidem factum est, ut et longa eaque arida argumenti narratione, in qua Euripides, ut Aristophanes cavillatur, *ληκύδιον ἀπώλεσεν,* et earum personarum vel deorum qui postea in scenam non iam prodibant usu prologi Euripidei hand paulo a ceteris fabulae scenis differrent et separatas ab eis partes viderentur efficere.

Et quoniam Euripidem comicis tum temporis poetis ut summo odio ita summae admirationi fuisse constat, etiam hoc novum prologorum genus eos adhibuisse consentaneum est. Quin etiam ultra progressi sunt. Cum enim apud Euripidem dei illi machinati quamvis tenui sed aliquo tamen vinculo cum fabula essent coniuncti, novae potissimum comoediae poetae et alias personas fictas, ut *Ἀέρα, Ἔλεγχον, Φόβον,* quas ullo modo cum fabula cohaesisse vix potest accipi, in scenam producebant, et iam prologis illis a reliqua fabula plane disiunctis, quos cum nonnullis Plautinis tum omnibus fabulis Terentianis[1]) praemissos videmus, usi videntur esse: sunt enim illi prologi, quos prologos separatos appellare liceat, et ipsi personae fictae atque per eandem qua *Ἔλεγχος* vel *Φόβος* prosopopoeiam allatae in scenam.

Quod quidem ita se habere Dziatzko in disputatione negat, quam „Ueber die Plautinischen Prologe. Allgemeine Gesichtspunkte" inscripsit his Euanthii confisus verbis[2]): „Tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum quos Latini habent. Deinde *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς* id est deos argumentis narrandis machinatos ceteri Latini instar Graecorum habent: Terentius non habet." Quo ex loco nimium Dziatzko collegit cum eum ita interpretaretur: „Götter (z. Th. personificierte Begriffe) zur Erzählung des Arguments haben die lateinischen sowie die griechischen Komiker; außerdem aber lassen die Griechen nur Personen des Stücks, allenfalls den Dichter selbst, kurz individuelle Persönlichkeiten als Prolog auftreten, die römischen Dichter jedoch häufig auch einen stereotypen Prologus, über dessen persönliche Beziehung zum Stück keine weitere Rechenschaft gegeben wird." Contra rectissime de hoc loco Pahlius mihi videtur iudicasse, qui a poetis Graecis eos modo prologos qui Terentianis similes sint i. e. argumenti narrationem omnino non attingant abiudicavisse Euanthium censet. Ut enim Dziatzkoni concedamus a poetis Graecis prologos nonnunquam pronuntiatos esse: quo tandem munere aut quo ornatu in scenam eos prodisse arbitratur? Nonne et ipsi in separatorum prologorum numero sunt habendi, quippe qui cum argumento fabulae certe non magis cohaereant quam prologi Terentiani? Accedit quod fragmentum ex prologo Thaidis Menandri a Plutarcho nobis proditum, de quo potissimum vir ille doctus — de mediae enim comoediae fragmentis velut de Poesi Antiphanis[3]) non certum indicium est — suam de poeta prologi partes agente coniecturam traxit:

Ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα,
ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί

---

[1]) Nunc tantum de forma prologorum agi, non de rebus quibus contineantur, ne quis erret hand scio an addi oporteat. Quid enim inter hos Plautinos et Terentianos prologos intersit infra docebitur. [2]) Klotz, ed. Terent. p. XIV, 16 sqq. [3]) Meineke, com. gr. IV, 131.

non impedit quominus ea verba a prologo separato haud scio an verbis poetae, ut in prologis Terentianis fieri solet, pronuntiata esse credamus. Neque sententiae nostrae repuguat hic locus Demetrii[1]) grammatici: *„Ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος, ὥσπερ ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας· οὐδὲν γὰρ αὐτῷ ἀκόλουθον λέγει· καὶ παρὰ Μενάνδρῳ δὲ ὁ πρόλογος τῆς Μεσσηνίας,“* ex quo quis separati Messeniae prologi memorem ita scripsisse Demetrium suo iure collegerit. Optime autem in sententia nostra probanda ipsis comoediis Plautinis adiuvamur. Ex iis enim cum quinque exstent: Casina Menaechmi Truculentus Captivi Poenulus – Asinariam et Pseudolum hic sciens praetermitto — quibus prologi separati propositi sunt, fortasse haud nimius videar, si eos sive a Plauto diligentissimo Graecorum poetarum interprete ad Graeca, sive ab eius imitatoribus et interpolatoribus ad ipsius Plauti exempla conscriptos esse contendo. In quibus si poetae Graeci vel personas fabulae vel *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς* ad enarranda argumenta adhibuissent, non video causam cur Plautum eorum vestigia alias prementem hic cum gravibus iisque inutilibus in componendis fabulis mutationibus dereliquisse statuamus. Igitur prologis quoque separatis iam poetas Graecos usos esse apparet. Atque ex fabulis Plautinis si Graecarum imaginem — id quod haud facile refellatur — licet restaurare, etiam duplex ac mixtum quoddam prologorum genus, in quibus argumenti altera pars a persona fabulae altera vel a deo vel a separato prologo aliave persona ficta exponeretur, ab eisdem poetis inventum esse intellegimus: cui generi luculento testimonio sunt Cistellaria Trinummus Truculentus Plautinae. Quae cum ita sint, tantum abest ut Dziatzkonis illam in prologos Graecos et Romanos divisionem qua eos in examen vocat probemus, ut omnes fabularum Plautinarum prologos excepto spurio Asinariae generaliter quidem Graecorum more conscriptos esse contendamus illamque distinctionem quidqam momenti atque certiorem quasi ansam ad vere Plautina a falsis diiudicanda habere negemus.

Iam quaeritur quid potissimum in scribendis prologis poetae comici secuti sint. Dziatzko ex fragmentis et mediae et novae comoediae Atticae quae diserto testimonio aut probabili coniectura prologis tribuantur caput in eis argumenti narrationem aliis tamen rebus non exclusis fuisse docuit. Eodem spectant omnes qui adhuc exstant prologi fabularum Plautinarum praeter unum de quo iam dixi Asinariae. Contra Terentius omni studio ad maledicta veteris poetae refellenda aut ad fabulam spectatoribus commendandam collato argumentum ne verbo quidem attigit. Sed quoniam in Andriae primae fabulae prologo v. 5 sq. se in prologis scribundis „operam abuti,

Non qui argumentum narret, sed qui malivoli
Veteris poetae maledictis respondeat“

expresse profiteatur[2]), ante eum hoc prologorum genus aut incognitum aut certe minus usitatum fuisse apparet. Intellegimus igitur vere Plautina si in prologis fabularum Plautinarum sunt eruenda, facillime in eis partibus quae argumenti narratione contineantur reperiri posse.

---

[1]) de eloc. § 153. [2]) Cf. Ter. Ad. prol. 22: Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae.

Videamus nunc quid tandem sit argumentum quod qui prologorum partes agunt cum spectatoribus se communicaturos promittunt. De quo minus distincte quam res postulat viri docti mihi videntur egisse. Verbum enim argumentum in hoc quidem genere duplicem habet significationem, alteram quam nos lingua vernacula „Inhaltsangabe", alteram quam voce e Gallorum lingua petita „Sujet" reddimus, Graeci autem ὑπόθεσιν vocant: illa ut locum recte tenet in eis argumentis quae et omnibus praeter Bacchides fabulis quae exstant Plautinis et Terentianis praemissa ad Sidonium Apollinarem vulgo referuntur, ita a prologis prorsus repellenda est; haec in prologis propriam habet sedem neque huius argumenti ullo modo est omnia quae actores in scena gesturi sunt ante initam fabulam spectatoribus prodere, siquidem argumentum vi principali id est quod pertinet ad arguendum (zur Klarlegung). Dziatzko[1]) quidem cum poetas Graecos Euripide duce cum spectantibus saepe non solum quae ante acta essent, sed etiam futura prologis communicasse putat, tum maxime poetas Latinos, cum praesertim spectatores Romani incultiores atque rudiores quam Graeci ad eam animi delectationem fuissent. At quo iure ita ratiocinatur? Nam primum aetate illa qua Plautus maxime florebat iam quinquaginta fere anni interiecti erant postquam Livius Andronicus primum fabulam Romae docuerat, qua aetate Cato redundantem Graecorum cultum atque elegantiam omnibus machinis reprimenda esse censebat. Tum ullius temporis homines tam rudes aut esse aut fuisse nego qui fabulam Plautinam argumento non copiosissime narrato non possent intellegere. Denique in fragmentis poetarum Graecorum testimonia ex quibus id colligi liceat nulla, in prologis Latinorum eisque solis Plautinis perpauca exstant, sed quae nisi singularis quaedam intercedit ratio adulterina sint iudicanda. Euripides autem quibus causis futura nonnunquam prologis praecipere cogeretur, supra iam demonstratum est. Nec vero quod ad tragoediam aptissime quadrat idem in comoediam cadit. Ut enim Lessingio[2]) concedamus artem tragicam ad maiorem perduci posse perfectionem, si spectatores statim in primo tragoediarum initio de actionis progressione vel etiam postremo eventu edocerentur; spectatorum enim animos non tam eis quae fierent quam qua fierent ratione commoveri: nonne contra in comoediis omnia in exspectatione spectatorum tenenda sunt posita? Quae si tota fabula antea enarrata esset, sine dubio deleretur. Recte hoc vidit Donatus[3]) cum de comoediae partibus agens ita scriberet: „Protasis est primus actus initiumque dramatis qua pars argumenti explicatur pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum ac totius ut ita dicam nodus erroris. Cata strophe est conversio rerum ad iocundos exitus patefacta cuntis cognitione gestorum."[4]) Qua re nisi forte aut a poetis Graecis aut a Plauto eam exspectationen data opera nonnunquam deletam nodumque prius quam necteretur solutum esse inducimus animum: eos vel integros prologos vel singulos in eis locos, qui huic consilio manifeste repugnent et posteriorum imitatorum ineptias apertissime sapiant, confidenter obelo notemus et expellamus ex Plauto.

---

[1]) Plaut. Prol. Allg. Ges. p. 14. [2]) Hamb. Dramat. I, 48. [3]) de com. p. XVIII, 18 sqq. (Klotz in edit. Terent.) [4]) cf. Ter. Ad. prol. 22—24: „Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae: — Senes qui primi venient, ei partem aperient, — In agendo partem ostendent."

Utrum vero ab ipso Plauto prologus fabulae praemissus fuerit necne, nisi ex tota ipsius fabulae indole atque compositione cognosci non potest. Jam vidimus expositionem rerum ante actarum aut prologo separato aut in initio fabulae personis eius tributam fuisse. Atque illud quidem tum fere esse factum consentaneum est, vel cum longiora quam quae in fabula ipsa apte invenirent locum vel cum magis contorta quam quae una fabulae persona posset scire enarranda erant. Sunt nimirum qui ad plurimas fabulas Plautinas, velut ad Amphitruonem Rudentem[1]) alias, utpote ex quibus ipsis ante acta cognosci possent, prologos non necessarios esse neque propterea a Plauto scriptos contendant. At hoc vix nostrorum poetarum est, minime veterum erat a spectantibus postulare, ut ex singulis indiciis hic illic interiectis per totamque fabulam dispersis, quibus non id agebatur ut illi diserte docerentur, sed quae tantum in transitu atque per datam opportunitatem commemorabantur, cum studio ac labore quae ante fabulam ipsam essent acta colligerent. Quod quidem certe nemo qui prologorum ratione attente habita omnes Plauti comoedias perlegerit non concedat. Ergo si prologum qui argumenti narratione modo descripta contineatur ad fabulam maximeque primam eius scenam intellegendam necessarium esse, in fabula autem ipsa eas respici res quae nisi ex prologo a spectatoribus non sint cognita possumus probare: talem prologum genuinum iudicare, nisi aliae causae obsunt, ne dubitemus. Verum in hoc examen — id quod huic dissertationi propositum est — priusquam singulos prologos vocemus, non possumus hoc loco ea indicia non paucis persequi quibus nonnullos prologorum locos spurios esse pro certo habemus.

Omitto rem metricam et sermonem, quippe quae tam prope ad consuetudinem Plautinam etiam in versibus posteriori aetati certo iudicio tribuendis accedant, ut ex eis fere diiudicatio fieri non possit. Tum quod attinet ad res theatrales totus pendeo ex luculenta illa atque accurata Ritschelii viri doctissimi disputatione[2]), qua ante annum 608 Romae nondum gradus in theatro constructos fuisse in quibus sederetur, sed Romanos stantes ludos spectasse nisi ipsi sellas secum tulissent demonstravit.

Quod autem Ritschelius[3]) prologos Asinariae Casinae Menaechmorum Mercatoris Pseudoli Trinummi Truculenti prologorum Terentianorum analogia ductus adulterinos esse censet propter solam nominis poetae mentionem, consentire cum eo nullo modo possumus. Videamus iam quam rationem Terentius in prologis suis conscribendis tenuerit. In omnibus enim prologis nomen fabulae, quod praeter Phormionem — id quod diserte commemoratur — idem est atque exempli Graeci, in Andria et Eunucho nomen poetae Graeci, nullo loco suum profert. Ex quo Dziatzko[4]) suo iure collegit, „cum fabulas illo tempore incredibile sit spectatas esse spectatoribus poetarum nomina plane ignorantibus et prologos operam dedisse alicui poetae commendando eiusque causam contra alios poetas egisse, si ei qui aderant

---

[1]) Praetereo quaestiones illas Plautinas (Halle 1873), quibus Martinsius similitudine quadam inter aliquot prologorum et fabularum ipsarum versus intercedente confisus aliis argumentis non allatis praeter Captivorum et Poenuli etiam Amphitruonis et Rudentis prologos a Plauto abiudicandos esse sibi, vix credo alii persuasit. [2]) parerg. Plaut. et Terent. p. 209 sqq. [3]) parerg. p. 233. [4]) De prol. Plaut. et Terent. quaest. sel. p. 3 (Bonnae 1863).

ne nomen quidem illius pernossent: spectatores de Terentio poeta iam ante prologum aliquo modo certiores factos esse.“ Nisus praeterea duobus Donati[1]) testimoniis quibus de tituli pronuntiatione fit mentio, doctus ille vir ante fabulae actionem fortasse per praeconem nomina et fabulae et poetae pronuntiata esse suspicatur. Quod nobis quoque veri videtur simillimum esse. Sed propter id ipsum nomen fabulae nunquam aliter atque in transitu prolatum esse tantum abest ut Dziatzkoni concedamus, ut data opera eam mentionem factam esse et necessariam prologorum Terentianorum effecisse partem contendamus. Quid quod Dziatzko[2]) ipse, ut suam tueatur sententiam, prologo Heautontimorumenu aeque ac Hecyrae prologis, qui ei apertissime repugnent, omnino tituli pronuntiationem antecessisse negat. Quo facto a lege quam ex ipsis prologis Terentianis duxit dimidiam fere partem eorum excipere coactus est! Heautontimorumenu autem prologum quomodo duce Ritschelio et emblematis suis et athetesibus deformaverit[3]) in suamque opinionem inaudita quadam violentia coegerit vix videtur credibile. Sed quoniam id ipsum haud parvi ad hanc quaestionem momenti est, temptemus si alia eaque rectiore fortasse interpretatione huius prologi initio librorum fide optime mea quidem sententia mandato auxilium possimus ferre.

Initium capio a versibus 4—9 artissime inter se cohaerentibus, quos mutato versuum 5 et 6 ordine et servata in v. 6 cod. Bembini „duplici“ scriptura ita legi velim:

4. Ex integra Graeca integram comoediam,
6. Duplex quae ex argumento facta est duplici,
5. Hodie sum acturus Heautontimorumenon.
7. Novam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit
8. Et cuia Graeca sit, ni partem maxumam
9. Existumarem scire vostrum, id dicerem.

Versum 4. Dziatzko[4]) quamvis vocem „integer“ in eodem versu bis usurpatam debere eadem significatione esse concedat tamen sic explicat: „Ex graeca fabula, cuius nemo quidquam praeripuit, latinam, cui non oportuit quidquam addi.“ Equidem illa verba in nostram linguam versa ita accipio: Eine ganze (unveränderte) Komödie

---

[1]) de com. (Klotz ed. Terent.) p. XVIII, 25 sqq. et p. XIX, 36 sqq. [2]) quaest. sel. p. 16.
[3]) In talem fere formam Dziatzko primos huius prologi versus vult redigi:

„Ne quoi sit vostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium
[Id vos docebo: sed ne huiusce fabulae
Vos ignoretis nomen et qui scripserit:]
Id primum dicam, deinde quod veni eloquar.
Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon.
[Graece hanc Menander scripsit: vortit denuo
Latine quem iam nostis Afer Publius.]
Nunc quam ob rem has partis didicerim, paucis dabo.“

Nihil est quod huic artificio velimus addere nisi ipsius Dziatzkonis verba: Fortasse ante v. 10. alia quoque interciderunt; sed „certa ratiocinatione“ nihil praeterea statuere possumus. [4]) quaest. sel. p. 8.

ganz (unverändert) nach dem Griechischen, welche nach einem doppelten Sujet (wie im Griechischen) zu einer doppelten gestaltet ist (sc. a poeta), will ich heute vorführen, den Heautontimorumenos. Duplex autem argumentum dictum est propter duplices et Cliniae et Clitiphonis quibus fabula continetur amores. Iam apparet versum 4., quo poeta nihil aliud nisi perfectam suae fabulae cum exemplo Graeco similitudinem vult premere, optime versu 6., quo poeta idem agit, excipi: utitur autem Terentius quo id argutius exprimat abundanti illa et apud Latinos tritissima oratione quae in eorundem verborum repetitione contineatur. Versum 6. iam Faernus recte interpretatus est nec possum in eo cum Dziatzkone aliisque viris doctis qui eum eiciunt grammaticorum doctrinam videre, sed ex eo potius illorum observationem ortam in libellos grammaticos[1]) irrepsisse crediderim. Versuum autem 5. et 6. ordinem ideo mutavi quia cum versuum 4. et 6. societatem v. 5. interposito turbatam, tum — id quod consilio nostro discrimen fecit — hac transpositione aptissimum ad v. 7. transitum creatum esse censeo. His enim praemissis et una nomine fabulae quod idem est atque exempli Graeci prolato, quin poeta et novam esse et quae esset (i. e. quod nomen ei esset) ostenderit nullo modo potest dubitari. Dziatzko quidem versus 7—9 ex prologo nostro removendos esse ratus ita scribit[2]): „Cum illo tempore domini gregis veteres fabulas pro novis agere nondum conati essent, profecto non erat quod poeta fabulam novam esse „„ostenderet““ nisi singulari causa intercedente.“ At fugit virum doctum Terentium in omnibus prologis praeter prologum Andriae, quo toto contaminationem fabularum quidquam vitii et probri habere negat, fabulas novas esse diserte ostendisse? Prologo enim Eunuchi v. 19—43[3]) aeque ac duobus Hecyrae — in altero v. 29—42 — nihil aliud agit. Praeterea hos versus si respexerimus:

(Ter. Ad. prol. 12). Eam nos acturi sumus novam,
et (Phorm. prol. 25—26). Adporto novam.
Epidicazomenon quam vocant comoediam,

in quo prologo nequaquam singularis causa intercedit, etiam nostro loco Terentium consuetum morem secutum esse arbitrabimur. Ceterum in sententia nostra prologorum Terentianorum et id fuisse ut nomen fabulae cum spectantibus communicarent firmanda hoc ipso loco haud male adiuvamur, nisi vero verba illa „et quae esset“ aut temere a poeta adiecta aut alio sensu (quae = qualis), quod quidem fieri potuit, posita esse statuamus.

Versuum 7.—9. interpretatio coniuncta est cum quaestione quomodo sit factum ut pronuntiato antea titulo nihilo secius in omnibus prologis Terentianis nominis fabulae, contra poetae nunquam fiat mentio. Cum vero totum hoc genus in eis iaceat tenebris quibus clara lux verendum sit ne nunquam afferatur, Ritschelio duce opinari aliquid quam de cognitione rerum desperare praestabit. Fieri igitur poterat, ut ante tibiarum cantum, cum fabula agenda erat, de pulpito per praeconem,

[1]) cf. Euanth. p. XV, 11 sqq. et Donati praef. ad Ter. Phorm. (Klotz, p. 362, 10 sqq.) [2]) quaest. sel. p. 9. [3]) Haec quoque verba in v. 20: „Postquam aediles emerunt“ non simpliciter, sed circuitione quadam eodem spectant, quod veteres fabulas emi non oportebat.

quippe cuius opera in prologis fabularum Plautinarum nonnunquam adhiberetur,[1]) nomina et fabulae Latinae Graecique exempli et poetarum Graeci et Latini pronuntiarentur, sed per tumultum ac clamorem confluentis demum ad spectandum multitudinis non ab omnibus audirentur.[2]) Atque in ea pronuntiatione ignotum et novum idque e lingua Graeca saepe petitum nomen fabulae quin mimus clare quam cognitum plerisque poetae nomen perceptum sit auribus vix dubitari potest. Cui rei prologis remedium facile inventum est. Itaque Terentium in omnibus prologis nomen fabulae cum spectatoribus communicasse videmus: ut suum proferret necessitate non videbatur coactus esse. Attamen ne semel quidem Terentii nomen in prologis inveniri, cum praesertim ad nomen populo commendandum ea aptissima esset occasio, iure mirum habendum est. Ex quo equidem consilio eum nomen reticuisse collegerim. Causam cur id fecerit si quaerimus, haud scio an haec fuerit. Terentium enim initio servisse et ab Terentio Lucano domino manu missum esse certo Suetoni testimonio constat. Illis autem temporibus cum liberti indicio condicionis servilis non adiecto publice proferre nomen vetiti essent,[3]) quaeritur num Terentio per occasionem ludorum qui pars semper religionis erant coram populo aliter sese atque P. Terentium Afrum P. (?) libertum vel servum appellare licuerit. Quod quidem ego negaverim. Praeterea simpliciter Terentium fabulae alicuius auctorem omnium auribus proponere, cum quis facile de membro gentis Terentiae cogitaturus fuerit, poetae a gente illa nobili concessum fuisse vix est credendum, quoniam tota ars scenica etiam tum in communi contemptu erat nec nisi cum probro nobilis illius gentis nomen de pulpito pronuntiatum esset. Atque eodem videtur pertinere quod in prologis causam suam contra „malevolum veterem poetam“ agens de eorum amicorum nominibus, quorum „ingenio fretus ad studium musicum se adplicasset“ prudenter reticebat. (Cf. Heaut. prol. 22—24). Quae si ita se habeant, en causa cur Terentius ne nomen suum in prologis proferret data opera vitaret.

Iam redeo unde paulum aberravi ad prologum Heautontimorumenu. Quid enim sibi velint versus 7—9 ex eis quae modo disputavimus apparet.[4]) Intellegimus igitur versus 4—9 artissimo vinculo inter se conexos esse. Eisdem versibus ab eo quod sibi versibus 1—3 :[5])

Ne cui sit vostrum mirum, cur partis seni
Poeta dederit quae sunt adolescentium:
Id primum dicam, deinde quod veni eloquar.

---

[1]) cf. Asin. prol. 4—5 et Poen. prol. 11—15. [2]) Plura cum spectatoribus communicata esse vix concedam. De genere quidem dramatis certiores eos factos esse negabit qui Plaut. Amph. prol. 50—55 memor erit: unde utrum tragoediam an comoediam visuri essent spectatores ignorasse apparet. — Versus Plautinos in hac dissertatione citatos secundum F. Leonis editionem numero. [3]) In omnibus titulis sepulcralibus qui tulerunt aetatem illud additamentum non praetermissum videmus. Cf. Mommsen, Röm. Staatsr. 424 ff. [4]) Si verba „ni partem maxumam Existumarem scire vostrum, id dicerem“ magis ad verba „et cuia Graeca sit“ quam ad verba „nunc qui scripserit“ pertinere volumus, poetae simul in animo fuisse de litterarum scientia blandiri spectatoribus haud scio an concedamus. Cf. Ar. Ran. 1107—1116 (ed. Becker), ubi idem a poeta factum est. [5]) Silentio praetereo mira illa virorum doctorum commenta quibus hunc locum corrigere conati sunt.

proposuit, digreditur, quippe quibus neque cur prologi partes seni dederit neque quod ille venit exponat. Quamquam ea digressio qua tanquam prooemii loco nonnulla de fabula ipsa explicentur prorsus in consuetudine Terentiana est posita. Legimus enim in An. prol. 8 sqq:

Nunc quam rem vitio dent quaeso animum advortite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam etc.

Sed v. 12 demum:

Quae convenere in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse atque usum pro suis etc.

ad rem ipsam quam vitio dent poeta transit.

Porro legimus in Hec. altero prologo v. 20 sqq:

Nunc quid petam mea causa aequo animo adtendite.
Hecyram ad vos refero quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est etc.

Sed inde a v. 38 demum quid petat dicit:

Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos: facite etc.

Denique in Phorm. prol. 25 sqq. sic legimus:

Nunc quid velim animum adtendite. Adporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graeci etc.

Sed inde a v. 31 demum:

Date operam: adeste aequo animo per silentium etc.

quid velit pronuntiat.

Itaque ratione simillima etiam in Heaut. prologo Terentius post eam digressionem quae v. 4—9 continetur v. 10:

Nunc quamobrem has partis didicerim paucis dabo.

ad propositum redit. Exponit enim inde a v. 11—15 se prologi partes ideo seni dedisse quia eum oratorem, non prologum esse voluisset. Tum inde a v. 16 sqq:

Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Graecas etc.

re vera ad id quod prologus venit i. e. ad ipsam orationem transit quam ille oratoris munere fungeus habiturus est. Itaque si rectam adhibemus interpretationem, omnia in hoc prologo aptissime coire intellegimus.

Nunc ratione quam Terentius de indiciis et fabulae et poetae in prologis suis secutus sit accuratius perspecta experiamur, quid e prologis fabularum Plautinarum in eodem genere eruere possimus. Iam apparet Ritschelium nullo iure egisse, si una consuetudine Terentiana ductus omnes prologos in quibus nominis Plauti fit mentio damnavit. Causa profecto nulla est cur Plauto non licuerit id facere quod Terentius consilio vitabat. Neque negari potest reapse Plautum occasiones quibus nomen suum populo commendaret nonnunquam non praetermisisse. Simplex igitur

poetae nominis commemoratio per se suspicionem, ut Dziatzko[1]) recte vidit, non magis habet quam simplex fabulae nominis mentio.[2]) Nec tamen omnes eius modi locos genuinos esse putandos censuerim, sed singuli potius singulari iudicio subiciendi sunt.

Separatim agendum est de quibusdam in prologis indiciis quae didascoliorum in modum composita nomina et fabulae Graecique exempli et poetarum Latini ac Graeci praebeant. Quo in numero sunt prologi Asinariae Casinae Mercatoris Trinummi. Verum ex his prologus Asinariae, quod infra ostendam, integer a Plauto abiudicandus est; prologum Casinae ipse qui eius partes agit ad repetitam fabulae actionem pertinere profitetur. Praeterea in eo non aliter quam in prologo Poenuli falsum fabulae nomen indicatur, quod in simillimo ac Terentii studio positum videtur fuisse, ut spectatoribus fabulam si non novam, at pro nova esse persuaderetur.[3]) Accedit quod eae didascaliae quae in prologis Mercatoris et Trinummi inveniuntur non solum cum versibus antecedentibus et insequentibus non cohaerent, sed etiam iis expulsis interruptus sententiarum ordo in integrum restituitur. Unde apparet didascalias illas non a Plauto ipso posse profectas esse.

Quaeritur iam cui tandem didascaliae illae tribuendae sint.[4]) Atque Ritschelius[5]) quidem accommodatissime ad persuadendum docuit repetitam illam Casinae actionem in exitum sexti vel in initium septimi a. u. saeculi cadere, quo tempore comoediis quae placerent deficientibus studia Plautina renata Plautique fabulae iterum et saepius in scenam delatae essent. Eisdem igitur temporibus a dominis gregum vel ab histrionibus cum ceteris additamentis et fabulas ipsas et prologos locupletata tum didascalias illas prologis inculcatas totumque Asinariae prologum confictum esse veri simillimum ac paene pro certo est. Causam cur eae didascaliae interiectae sint in eo video, quod qui septimo saeculo fabulas Plautinas docebant eundem atque Terentius morem sequebantur, praeterea autem nomen poetae Latini, quod ille de industria reticuerat addebant, i. e. omnia ea in prologis cum spectantibus communicabant quae per praeconem ante initam fabulam pronuntiata esse supra suspicati sumes. Quod itase habere testimonio gravissimo mihi prologus Asinariae est, qui fere totus spectatoribus de istis rebus docendis continetur. Quem etsi ex laciniis undique collectis miserrime esse consutum concedendum est, tamen auctorem eius omnino quid prologi esset ignorasse nullo modo accipi potest.

---

[1]) Allgem. Gesichtsp. S. 2. [2]) Idem iam a Naevio factum esse ex prologi fragmento (O. Ribbeck, com. lat. sel. p. 5) elucet, in quo legimus:

„Acontizomenos fabula est prime proba"

quae verba cur repetitae actioni sint tribuenda causa profecto afferi non potest. [3]) cf. Ritschl, parerg. 202 sqq. [4]) Praetereo Dziatzkonis opinionem, utpote quae omni careat fundamento, ab aliquo grammatico posteriore ad docendos lectores eas prologis insertas esse. Ad quam nisi fallor vir doctus eo adductus est quod Terentium consilio in prologis fabulae nomen protulisse negat. Quid quod propterea vel totum Asinariae prologum ignoto illi grammatico attribuere coactus est. Cf. Plaut. Prol. Allg. Gesichtsp. p. 2 et quaest. sel. p. 18 sqq. [5]) parerg. 180 sqq.

Ceteros prologos si circumspexerimus quoniam in Amphitruone Aulularia Cistellaria Captivis neque fabulae neque poetae ulla fit mentio, in reliquis aut Plauti aut poetae Graeci aut exempli nomina per occasionem modo commemorantur: prologorum Plautinorum vulgo non fuisse nomen fabulae vel poetae spectantibus proponere Dziatzkoni[1]) assentiri non dubitabimus. Item apparet etiam fabulis Plautinis pronuntiationem tituli antecessisse.

Transeo nunc ad singulos prologos. Ac primum quidem de eis agam qui a persona fabulae, deinde de eis qui a deo machinato, tum de eis qui a prologo separato pronuntiantur, denique de eis fabulis, ad quos prologi non exstant.

Amphitruonis prologum diasceuastae manum gravissime expertum esse inter omnes constat. Itaque diversissime viri docti auxilium ei ferre conati sunt. Sed quoniam hic fieri non potest ut singulas singulorum opioniones persequar, meam tutatus alias si refutare possim temptabo.

Initium capio a prologi altera parte quae a. v. 97 usque ad finem (v. 152) pertinet. Hos versus quibus Mercurius Sosiae servi ferens imaginem argumentum fabulae enarrat ad intellegendam fabulam maximeque primam eius scenam necessarios esse facile perspicitur. Nam qui error fabulae turbas creat ne idem spectatores teneret, nisi a Mercurio cautum esset, neque quid sibi velint duo illi Sosiae quorum uterque eodem ornatu se verum esse Sosiam contendit intellegeremus, neque quisnam ille alterius Sosiae pater sit qui amans cum Alcumena cubet cuiusque gratia nox longior sit facta. Itaque integram hanc partem vere Plautinam esse censeremus, nisi graves dubitationes rebus quibusdam afferrentur. Primum enim in eo offendimus quod eaedem res saepius repetuntur, tum quod Mercurius non ea modo quae facta sunt, sed etiam futura cum spectatoribus communicat. Qua in dubitatione facere non possumus quin totam huius fabulae indolem atque compositionem summatim quidem contemplemur. Nam ut omnino de Plauto ex uno Plauto, non ex huius aetatis iudicio atque elegantia, sic de hac una Plauti tragicomoedia ex hac ipsa, quoniam aliae non exstant, indicium esse ferendum vix quisquam negaverit. Iam videmus si res istas identidem et in prologo et eisdem fere verbis in insequenti actione repetitas — qua quidem re viri quidam docti adducti sunt ut prologi auctorem ex scenis sequentibus nonnulla audacter subripuisse et prologo inculcasse putarent — prologo probro esse volumus, hoc latius patere et in totam fabulam esse adhibendam. Neque enim monologo quem Mercurius v. 463—498 post Sosiam servum miserrime illusum et verberatum habet aliud atque prologi altera parte agit: nam hoc monologo quasi altero prologo Mercurius non modo quae continuo agentur, sed etiam omnem fabulae usque ad finem decursum uberius explicat, quam explicationem integram ad intellegendam insequentem actionem non modo non necessariam, sed etiam prorsus supervacaneam esse, qua sublata nihil desiderari nemo non concesserit. Accedit quod Juppiter monologo v. 861—881 tamquam tertio prologo habito eadem quae Mercurius monologo modo commemorato eisdem ex parte fere verbis (cf. v. 486—490 et v. 493—495 cum v. 869—872 et v. 876—879) repetit. Deinde quae Sosia servus et de Pterelae regis morte (v. 252) et de patera aurea Amphitruoni

[1]) Quaest. sel. p. 18.

donata profert (v. 260—261), eadem quam simillime (v. 534—536) Jovem—Amphitruonem dicentem poeta facit. Tum Mercurius eadem atque antea ratione v. 984—1008 quasi quarto prologo quae proxime futura sint exponit: se imperio patris Amphitruonem ex portu redeuntem ludibrio habiturum, quod brevissimo interiecto spatio (cf. v. 997—998 cum v. 1005) eidem verbis (Faxo probe iam hic deludetur — iam ille hic deludetur probe) usus bis profitetur, idque eo magis mirum videtur esse, quod paulo ante (cf. v. 976—980) ita facere a patre iussus erat. Idem quod v. 991—992 dixit se patri oportere dicto audientem esse, v. 1004 iterat. Restat ut addamus Jovem versibus 1131—1143 epilogi quasi loco pronuntiatis de rebus spectatoribus iam iterum atque saepius expositis (cf. v. 1135—1138 cum v. 107—109 et 479—485 et 876—879) Amphitruonem quoque docere, idque perinde acsi scena antecedenti ille per Bromiam ancillam copiose de eisdem rebus certior non esset factus.

Quorsum igitur tam multa de istis repetitionibus? Quia his expositis certiorem quasi normam ad quam prologi quoque repetitiones referamus mihi videor repperisse. Videmus igitur in eo a Mercurio ter nobis narrari Jovem patrem cum Alcumena cubare (cf. v. 112, 120, 131[1]), bis eum in Amphitruonis imaginem se vertisse (cf. v. 115 et 121), qua quidem in re viri docti quam maxime offenderunt. Sed si hoc locos cum reliquis monologis supra tractatis, veluti cum v. 984—1008, comparaverimus, eos certe non magis quam illos offensionem habere concedendum est. Inest enim in omnibus his narrationibus copia quadem nimia fusiusque dicendi genus, quo poeta unde modo profectus est rursus redeat ad novum aliquid cum spectatoribus communicandum. Quod idem cernitur in eis scenis quibus animus spectatorum in primis delectari poeta opinatur, veluti inter Mercurium et Sosiam, vi quadam distrahendis et producendis. Itaque aut omnes illi de quibus egimus monologi integri delendi aut integri cum rebus istis repetitis, quamvis a nostro iudicio abhorreant, ferendi sunt. Illud quoniam fieri non potest quin fabulam ex fabula expellamus, relinquitur ut eos omnes cum eisque alteram quoque prologi partem a Plauto ipso profecta et ex exemplari Graeco nobis incognito ad verbum expressa esse ducamus; quod eo minus mirum videbitur, si ingentem fabularum numerum ad Plauti nomen relatarum respiciemus. Quodsi rem ita se habere volumus, etiam altera illa dubitatio de qua supra diximus, quod de rebus futuris spectatores a prologo certiores fiant, tollitur. Nam quod per totam fabulam factum esse videmus, idem prologo concedendum esse consentaneum est. Causa autem qua poetae et Graecus et etiam magis Latinus ducebantur ea erat, quod „veterem atque antiquam rem novam proferebant“ (cf. v. 118) eoque, ne spectatorum mentes perturbarentur, futura eis prodere cogebantur. Praeterea illorum exspectationem rebus ipsis narratis non deleri, sed cum alias tum in nostra fabula qua fiant ratione, in hac quam maxime atque adeo unice esse positam nemo negaverit.

---

[1]) Ex his versibus minime v. 112 cum insequentibus 113—114 — id quod potissimum nonnulli viri docti voluerunt — digni sunt qui eiciantur, propterea quod nisi ex eis noctem longiorem esse factam spectatores non cognoscunt. Aliter enim neque verba Sosiae (v. 271—276) neque Mercurii (277—278) perciperent.

Iam quaeritur quidnam de priore prologi parte quae vv. 1—96 continetur iudicandum sit. Quos versus si summatim perlegimus, totum videntur efficere, ita tamen ut duo membra distincte cognoscantur, quorum alterum ex versibus 1—16, alterum cum insertis versibus 52—63 qui separata eius pars sunt ex versibus 17—96 constat. Ab his initum capio disserendi. Atque Ritschelius (parerg. 215 sqq.) profectus a v. 65, ex quo spectatores in cavea sedisse apparet, propter id ipsum hunc versum cum insequentibus Plautinos non posse esse evicit. Item propter sententiam suspicionem gravissimam movent versus 91—93. Praeterea, id quod summa rei est, cunctis his versibus — exceptis tamen 52—63 — non poetae, sed histrionis alicuius rem agi si respexerimus, his ipsis causis, etiamsi aliae non accederent, integrum locum ex Plauto eicere non dubitabimus. Verum quod attinet ad versus 52—63, contrarium est ferendum iudicium. Plautus enim cum inusitatum et insuetum Romanis comoediarum genus inducere fabulamque eam docere vellet, in qua Juppiter supremus et Mercurius filius histrioniam cum dignitate deorum indignam tum ab ingenio et moribus Romanorum alienam facerent, qualis tandem ea fabula esset quam spectatores essent visuri paucis prologo ostendere coactus est. En etiam causa, cur omnino ne religionem violare videretur anxie curaret et Jovem stupri culpam in se admittentem in scenam producere nollet nisi purgatione dei quem

„Non par videtur facere delictum suum
Suamque culpam expetere in mortalem ut sinat“,

(cf. 490—491) a Mercurio filio praemissa. Itaque vv. 52—63 aut a Plauto ipso factos aut ab eo ex exemplari Graeco latine versos esse contenderim. Quod mihi quidem verisimile videtur esse atque haud scio an concedat qui cum fusioris illius dicendi generis tum repetitionum in his versibus simillime atque in monologis supra tractatis factarum (cf. v. 59 cum v. 63 et v. 57 cum v. 58) meminerit. Quomodo autem hi versus in spuriam prologi partem irrepserint paulo infra docebo.

Venio nunc ad primam prologi partem quae versibus 1—16 continetur. His versibus qui per se ne minimam quidem suspicionem habent sine ullo dubio iustum atque idoneum prologi quasi prooemium fieret, nisi unum aliquid obstaret. Quaerimus enim obstupefacti, ubi servum servili vestitu in scenam prodeuntem conspeximus, quisnam ille sit qui magnificentia quadam verborum in mercimoniis emundis vendundisque homines se adiuturum bonisque nuntiis affecturum pollicetur, deinde etiam magis miramur quod spectatores iam scire dicit sibi ab deis aliis datum esse, ut nuntiis praeesset et lucro. Versu demum 19 postquam de re alia spectatores docere coepit nomen suum sero ad exspectationem nostram profert. Fieri autem nullo modo potuit ut Plautus Mercurium deum servili vestitu prologi partem agentem induceret, nisi antea quis esset diserte exposuisset. Nam in omnibus Plauti fabulis dei, ubi prologi causa in scenam prodeunt, in Aulularia Cistellaria Rudente Trinummo, prius utique qui sint quam quid velint pronuntiant. Quodsi ita facere non neglegunt quamquam ipso ornatu se deos esse significant, quanto magis Mercurius debebat imaginem ferens servilem! Nomine autem Mercurii in initio prologi commemorato cum cetera usque ad v. 16 tum v. 11—12 qui aliter percipi

nullo modo possunt pro ioco suum locum tenent. Et quoniam nominis Mercurii mentio non omnino intercidit, sed loco quamvis alieno facta est, sequitur consilio auctorem egisse. Iam manifeste videmus diasceuastae operam certiusqus habemus indicium, cui tandem vv. 17—96, exceptis ut supra dixi 52—63, tribuamus. Histrio enim aliquis per repetitae fabulae occasionem id spectans ut ab aemulorum perfidia prologo usus se defenderet locumque quaerens ubi apte sua prologo Plautino inculcaret, eum locum post v. 16 invenisse sibi visus est. Atque securus de vitio gravissimo prologo allato nominis Mercurii mentionem ab exordio huc transtulit, quo facto transitum commodum ad ea quae ipsi praecipue cordi erant sibi paravit. Quod plurimum eius interfuisse atque adeo ei summam rei fuisse vel inde apparet, quod multo maiorem quam pro rei levitate prologi partem istae res occupant. Quid quod ex centum quinquaginta duobus versibus quibus prologus continetur non minus sexaginta quinque eodem pertinent! Versibus autem extremis (93—95) quibus fabula propter Jovem et Mercurium in scenam prodeuntes commendatur facile caremus, quod eadem commendatio in versibus 151—152 inest. Deinde illud mirum est et mihi quidem adulterinam eam prologi partem esse haud leve testimonium, quod eius auctor Jovem ut se ab aemulis tueatur invocat. An vero Mercurii numen sufficiebat ad gratiam spectatorum conciliandam, idem ad tragoediam in comoediam commutandam, non sufficiebat ad causam histrionis apud spectatores agendam Juppiterque ipse erat arcessendus? Quibus ineptiis maiores vix esse possunt.

Hix expositis haud ita difficile videtur genuini prologi si minus pristinam formam, at pristinum tamen sententiarum ordinem quo compositus erat restituere, quem ordinem diasceuasta ille suis commentis leviter infertis contentus vix turbavit. Summatim quidem hic est: Mercurius nomine prolato a spectatoribus prooemii loco ut sua gratia silentium fabulae faciant petit. Tum praemissa expositione qualem fabulam visuri essent ad id quod venit i. e. ad argumenti narrationem transit.

Mercatoris in prologo Charinus adulescens qui primas in fabula partes agit duas simul res et argumentum et amores suos se narraturum profitetur (v. 1—2), idque rectissime quoniam hisce amoribus argumentum fabulae continetur.

Quos amores cum spectatoribus communicare vult, non cum nocte aut die aut sole aut luna, ut alias in comoediis (v. 3—8). Hi ipsi versus, quod argumentum omnino non attingunt, a nonnullis viris doctis quamvis apte cum antecentibus cohaereant in suspicionem vocati et expulsi sunt. Quod fieri necesse esse nobis quoque ex lege supra proposita videretur, nisi gravi quadam dubitatione prohiberemur. Quaeritur enim quonam modo hi versus in prologum venerint. Inest autem in eis iocosa aliorum poetarum cavillatio, quae cum non Romano, sed Graeco poetae cordi esset, huic soli tribuenda est. Quod enim hic aliis poetis exprobatur, in quibusdam fabulis veluti in Medea Phoenissis Ecclesiazusis factum esse etiam nunc animadvertimus, quare hi versus a nullo alio nisi a Philemone exemplaris Graeci poeta profecti esse possunt. Item sequitur ut ipse Plautus hos quoque versus securus de re a spectatoribus Romanis aliena ex illo in suum prologum transtulerit.

De vv. 9—10 eiciendis, quippe qui neque cum antecedentibus neque cum insequentibus conexi sint, sed eorum continuitatem praerupte interrumpant, iam supra disputavi.[1])

Vv. 11—15 Charinus, quod scire in primis spectatores necesse est, post biennium Rhodo, quo ad mercatum a patre missus esset, se revertisse Athenas exponit. Ibi amore mulieris se captum esse, quod quemadmodum evenerit iam narraturus est. Sed inde a. v. 40 demum promissum explet, versibus insequentibus (16—39) prorsus aliud agit. Iam quaeritur quidnam hi versus sibi velint. Ex quibus in v. 17, quamquam in libris plane corruptum eum legimus, sententiam tamen talem fere fuisse apparet, qualem F. Leo in editione sua adnotat: miratur enim Charinus, quod vv. 11—13 res ante actas strictius breviusque quam pro amatore exposuerit. Amorem enim cum multa alia vitia tum multiloquium, quod tamen modo parumloquium modo pauciloquium sit, solere sectari. Hoc multiloquio ut sibi in miseriis suis apud spectatores enarrandis liceat uti ab eis petit.

Qui locus gravissimam affert dubitationem. Ac primum quidem mirum videtur, quod Charinus quasi duplicem[2]) in se naturam esse conscius est, quarum altera quae in prologi partibus posita est ad argumentum quam brevissime enarrandum, altera adulescentis eiusque amatoris ad multiloquium vitiis parumloquii et pauciloquii coniunctis fertur, magisque etiam mirum quod ista apud spectatores data opera profitetur. Nam ad argumenti narrationem inde a v. 40 regressus ut multiloquio utitur, ita, ut infra docebitur, parumloquium et pauciloquium prudentissime atque diligentissime cavet. Deinde totius huius loci compositio tam inscita est, ut neque Philemonis neque Plauti ingenio digna videatur esse, utpote quae in enumerandis vitiis amorem sequentibus elegantiae descriptione inepte interrupta illorum, ut rectissime ait F. Leo, „ordinem nullum praebeat, sed fortuitam et qualem versus patiebantur farraginem.“ Tum hi versus, qui ad argumentum omnino non pertineant, cantici potius quam prologi videntur esse. Denique, quod vel maximi momenti esse censeo, versuum 15. et 40. perpetuitas versibus 16—39 eiectis in integrum restituitur.

His expositis quin integer iste locus ut spurius a Plauto abiudicandus sit vix potest dubitari. Neque enim si F. Leonis consilium secuti vv. 20—30 servaverimus quidquam adiuvabimur. Nam praeterquam quod dubitationum quas modo commemoravimus vix una tollitur, enumeratio illa vitiorum, quae verbis „haec cuncta vitia“ significatur, prolatis modo cura aegritudine elegantia multiloquio non completur. Quomodo autem versus isti in prologum Plautinum irrepserint si quaerimus,

---

[1]) Ne F. Leo quidem disputatione sua quamvis subtili atque docta (Plautinische Forschungen, Berlin 1895) didascalias illas necessariam et vere Plautinam prologorum partem esse propter causas incertas et ex incertissima librorum traditione potissimum petitas mihi persuasit. Equidem quoniam cetera magis dubia sunt nulla alia re nisi fabulis ipsis ut sunt servatae sententiarumque in eis cohaerentia atque perpetuitate — id quod iterum premo — hic ducor. [2]) Quod nonnunquam in prologis fieri Trautweinius in dissertatione sua de prologorum Plautinorum indole atque natura (Berlin 1893) recte explicavit.

haud scio an multiloquium illud quo Charinus in argumento narrando utitur fuerit causa. Neque fieri potuisse negaverim, ut histrio aliquis cum argumenti nimiam copiam initio eius contrariam quodam modo esse perspexisset eo ipso commoveretur et versus istos vel ipse commentus vel aliunde ex parte fortasse mutuatus per repetitae actionis opportunitatem Plautinis immisceret.

Venio nunc ad extremam prologi partem, quae vv. 40—110 complectitur. Enarrat enim copiose Charinus vv. 40—60 se meretricis amore admodum iuvenem captum rem familiarem perdidisse et opprobriis patris propter levitatem cumulatum esse, deinde vv. 61—78 quomodo pater suam adulescentiam in parsimonia atque egestate actam describens ad meliorem frugem se revocare studuerit sibique suaserit, ut ipsius exemplum imitatus mercator rem perditam recuperaret, postremo vv. 79—108 se patris consilium secutum et cum Acanthione servo, quo paedagogo puer usus sit quemque custodem suum esse pater voluerit Rhodum navi vectum lucro ingenti facto grande paravisse peculium, tum ab hospite quodam benigne exceptum mulierem pulcherrimam illi servientem cognovisse tantoque eius amore incensum esse ut eam emeret. Quam rem ne pater resciscat sibi cavendum esse. Versus 109—110 ad insequentem comoediae primam scenam traducunt.

Quae narratio scitissime ex omnibus partibus aptissimeque facta est, uberius quidem paulo atque amplius, sed prorsus ex adulescentis eiusque amatoris natura et ingenio, ut suo quidque loco stet et quod prologus vult optime efficiatur. In primis enim opus est copiosa illa senilis severitatis atque morositatis descriptione. Quae nisi esset, cur Charinus ne pater de amoribus suis recentibus certior fiat tam anxie caveat non intellegeremus, sed deficerent potius quasi fundamenta in quibus fabula constituta est. Neque quae diximus eo refelluntur quod Demipho senex in fabula ipsa non talem se praebet, qualis ex prologo indicandus nobis est, nisi forte vi amoris eum permutatum aliumque atque antea factum esse volumus, quodque ea adeo non vera sunt, quae in prologo de Demiphonis adulescentis continentia proferuntur, siquidem Demipho v. 264—265 ipse confitetur:

„Amavi hercle equidem ego olim in adulescentia,
Verum ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio."

Sunt enim qui propter hanc sententiarum discrepantiam prologi narrationem ut adulterinam condemnent ab Plautoque abiudicent. Sed si alterutri versus eiciendi sunt, prologi potius ut qui Charini rationem agendi illustrent quam quos modo commemoravimus desideremus. At eae discrepantiae non rarae neque in prologi interpolationibus, sed in vitiis fabulae componendae maximeque morum personarum describendorum gravissimis quaerendae sunt. Quid quod Demipho v. 993—994 haec dicit:

„Si hercle scivissem sive adeo ioculo dixisset mihi,
Se illam amare, nunquam facerem ut illam amanti abducerem."

Ergo si Charinus amores suos coram patre verbo attigisset, tota fabula corrueret; attigisset autem, nisi timor ille patris prologo optime explicatus fuisset. Itaque cum alia tum haec ferenda nobis sunt, si modo interpretari poetam, non corrigere nostrum erit.

Apte etiam in prologo Acanthionis servi mentio fit, unde qua re nisus tanta in dominum petulantia atque protervitate iam in prima fabulae scena utatur optime doceamur. Deinde lucrum ingens Charinum fecisse eo consilio commemoratum videtur esse, ut qua pecunia amicam emerit appareat. Reliqua inde a v. 97 ad inde a v. 97 ad intellegendam fabulam necessaria esse neque in prologo omitti potuisse manifestum est neque argumenti indiget.

His expositis Mercatoris prologum integrum expulsis vv. 9—10 et 16—39 exceptisque quibusdam librorum fato corruptis vere Plautinum eumque fabula ipsa aptiorem atque elegantiorem esse contenderim.

Spatio coactus ad hoc munus mihi concesso hic insisto reliqua aliam per occasionem in lucem editurus.

